DE EA RATIONE QUAE NONNULLIS DYSCRASIIS CUM SCELETO EIUSQUE LAESIONIBUS INTERCEDAT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XXII SEPTEMBR. A. MDCCCLIV
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HENRICUS RICHARDUS TRIEBEL
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
L. GUISCHARD, MED. ET CHIR. DR.
O. KREISLER, MED. ET CHIR. CAND.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS.

AFFINIBUS OPTIMIS ET CARISSIMIS

AUGUSTO HEINEMANN

HUMANISSIMO IUVENTUTIS PRAECEPTORI

ET

ROBERTO SCHNEIDER

SUMME VENERABILI ET DOCTISSIMO ECCLESIAE PRAEDICATORI.

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ex illo tempore, quo primis medicae artis elementis feliciter superatis nosocomium mihi frequentare licuit in eoque praeceptoribus viris clarissimis ea, quae ratione et via antea tractaveram, usu et observationibus illustrare potui, prae ceteris morbis quarundam dycrasiarum observatio ac perscrutatio me oblectavit. Quo in numero maxime eas inquirendas accuratius delegi, quibus aliquoties et homines adultos et infantes vel mortem oppetere vel miseram vitam trahere vidissem; scrophulosin, rhachitin, Carcinoma, arthritin, syphilin et scorbutum. Quoniam igitur consuetudo fert, ut in discessu ab alma academia libellus de aliquo argumento medico conscri-

batur, haud alienum putavi rationem eam, quae inter hos morbos et ossium systema intercedat, paucis explicare.

Jam spero lectorum benevolentiam eam fore, quae rudimentis medicinae artis non nimiam judicis severitatem adhibeat.

In arte medicina complures pravas affectiones nomine dyscrasiarum significare solemus, quae partim localibus quibusdam, ut ita dicam, morbi productis manifestantur, partim medico perscrutanti generali totius corporis morbo et aegrotatione, cujus causae exsistunt, cognoscuntur. Natura autem dyscrasiarum in anomala quadam sanguinis et succorum mixtione est posita. Jam vero in omni anomalia, quaecunque in corpore exoritur, materiae mutationem locum habuisse verisimile est, etiamsi multis locis adeo occulta et recondita est, ut certis argumentis demonstrari vel probari directo nequeat. Quatenus igitur in anomaliis constitutionis mutationes aliquae in mixtione componentium vel telarum vel sanguinis elementorum probabili conjectura praesumendae sunt vel adeo tales re vera adesse probari potest, istiusmodi constitutionis anomaliae communi dyscrasiarum generi ac notioni subjiciuntur.

Dyscrasia vero, quae nondum longius progressa inferioris alicujus gradus finibus coercita substitit, plerumque primum molliores corporis partes male afficere solet; postea demum quam ad certum quoddam posterius stadium provecta est ossium compagem ita corripere incipit, ut jam vivo homine nonnullas mutationes incidisse declarare impromptu sit; id quod, ut exempla proferamus, in syphilide, arthritide, scrophulosi accidere videmus. E contrario aliae sunt dyscrasiae, quae dum aegrotus vitam agit non sane manifesto sub adspectum oculorum subjiciuntur neque nisi raro in ossium systemate demonstrari possunt, veluti in tuberculosi plerumque res haud longius procedit in ossibus nisi ut granulationes oriantur, quae postea temporis decursu cretificantur; raro fieri solet, ut hinc res ad tuberculosas infiltrationes et ulcerationes progrediatur. Os tamen interdum ita commutatum est, ut, etiamsi neque sane abnormi ulla compositione utitur, neque elementa morbosa in se recepit, tamen et levius et fragilius evaserit: quale fere aetatis vi ingravescente fieri assolet. Haec vero conditio saepe numero cum dyscrasiis etiam conjuncta est, praesertim si corporis organismus omnibus partibus defessus atque infirmatus est, et singula organa legitimis suis muneribus fungi recusant. Cui conditioni nomen impositum est cachexiae. Etsi hoc loco quaeritur, utrum isti, quae dicitur, cachexiae dyscrasiam antecessisse oporteat, an cachexia nihil aliud nisi malam speciem habitumque et nutritionem non sufficientem in universum significare videatur. Si quis su-

spicari velit cachexiam ejusmodi conditionem esse, quae per se separatim consistat, facile adduci possit ut conjiciat, in dyscrasiis systema ossium ita dumtaxat istius mali vi et impetu corripi, ut in atrophiam injiciatur; quae res, ut uno exemplo contenti simus, in senectute solet accidere. Satis autem constat producta alicujus craseos saepe numero primo ab ossibus initium ducere vel in iis tantum animadverti posse; quemadmodum exempli gratia fungus medullaris inde ab osse originem trahere potest, ita ut nulla corporis alia pars ullum dyscrasiae carcinomatosae signum exhibeat. Jam eadem perspicuitate saepe in syphilide atque in scrophulosi os in aegrotationis partem tractum esse apparet, non solum manca imperfectaque ejus nutritio medico perscrutanti percipitur. Nec tamen, quum id dicimus, contendere nobis in animo est, non interdum in dyscrasiis solam atrophiam sub oculorum adspectum subjici ac semper processum morbi ejusmodi qui dycrasiae pariter respondeat et consentaneus sit in systemate ossium se evolvere. Quae res tum praecipue multo facilius usu venire impromptu est nobis animadvertere, si quando externis quibusdam et mechanicis detrimentis laesionibusque ossis compages ita prave afficitur, ut in conditionem inflammatoriam conjecta exardescat.

Etenim plane similis istiusmodi conditio apparet, ut si in syphilide laesio aliqua, qua molliores partes afficiuntur, facile eam mutationem afferre potest, ut vulnus indolem ulcerationis syphiliticae accipiat, vel si in dys-

crasia carcinomatosa ulcus et ipsum in carcinomatosam degenerationem incidere videmus.

Jam veniamus ad singulas dyscrasias considerandas, videamusque, quae illis cum systemate ossium ratio intercedat et quantum eae ossibus laesis in sanatione conficienda valeant.

Ac primum hoc loco in quaestionem venit arthritis, quem morbum et hominum longius aetate provectorum proprium esse constat et maxime in iis, qui feliciore vitae conditione utuntur, exsistere probabile est. Notum vero est, quam saepe in arthritide membrorum incurvationes occurrant. Quae quidem principio a musculis ligamentisque proficiscuntur, postea et cartilaginosa substantia et os intumescit ossiumque extremitates formam suscipiunt ad functionem partium non sane opportunam. Ossa autem aliqua ex parte luxantur; postmodo totum os salium osseorum pauper, marcidius magisque porosum fit, nonnunquam perfecta arthritica ossium emollitio nascitur. Interdum ossa tubulata praecipue in digitis ambitu minui videntur, quo magis articulationes intumescunt. In hujus modi hominibus, qui eo morbo affecti sunt, ne separatione quidem ossis opus est, saepe nihil aliud requiritur nisi simplex distorsio et contusio, qua locus affectus et laesus arthriticae inflammationis sedes efficiatur, quae nunquam regularibus stadiis sese evolvit neque remediis iis quae in nostram notitiam venerunt, facile tolli potest. Semper utique laeso osse hominum

arthritide laborantium prognosis mala et infelix constituitur, in corpore quidem ossis ea laesio facile deformitates gignit et semper sedes arthriticae affectionis manet, quin etiam causa est, unde praeternaturales articulationes oriantur. Extremo autem in osse prope articulationem si talis laesio exstitit, malis quibusdam conditionibus accedentibus usu venire potest, ut inde ulceratio et cariosa articulationis destructio generetur; quod si fit, res prosperum eventum habuisse existimanda est, si nihil praeter ancylosin veram oritur. Lethalis hujus mali exitus, cum arthritis longius et ad majorem vehementiam processit, metastasibus quippe intercedentibus semper omnino pertimescendus est. Magis etiam et facilius vita hominis in discrimen adducitur, si inflammatio ossis cum exsudato purulento accedit, quum omnino ulcerationes telae osseae crebrius quam molliorum partium pyaemiam gignere consuerint. Ossa aut arthritis impetu hypertrophica ita fiunt, ut immodica calcis phosphoricae copia in spongiosa eorum tela deposita accumuletur, aut ista depositio magis ita coercetur, ut inaequales et gibberosae quaedam corticalis substantiae prope articulationes intumescentiae exoriantur, idcirco quod obliteratis iis vasis, quae in interiorem ossis partem penetrant, substantia spongiosa atrophica fieri potest, ita ut articulationum ambitus diminuatur et imperfecta cartilaginis procreatio locum habeat, ipsa vero cartilago funditus evanescat atque eboreis quibusdam concretionibus resarciatur.

Quum ista affectio saepissime adultos homines in summum vitae discrimen adducit, ita haec dyscrasia, quam nunc describere in animo est, rhachitis interitum infantium efficit. Quam quidem multi etiamnum inveniuntur qui cum aliis constitutionis morbis in eundem atque unum ordinem conjici velint, praecipue cum scrophulosi. Hae duae affectiones minus sane symptomatis quam vario exitu inter se differunt. Verumtamen ea potissimum ratione, quae utrique istorum morborum cum ossium compage intercedit, maxime alter ab altero discrepat. Jam vero ut decursum rhachitidis accuratius persequamur, haec fere ejus est evolutio. Antequam illa exoriatur, ciborum digestio conturbata apparet, deinde lingua alba obductione insignis, appetitus vescendi nullus, abdomen tumidum tensumque, alvi profluvium aut obstructio, tum aegrotus leviter febris ardore jactatus cohorrescit, aerumnis quibusdam moestus morosa animi conditione utitur. Hepar paulo amplificatum est, urina sedimenta relinquit. Infantes recusant quominus ingrediantur et gravibus se in corpore doloribus vexari conqueruntur. Denique epiphyses longorum ossium tubulatorum concrassatae occurrunt. Os spongiosum evadit, compacta eorum substantia magis in dies evanescit et jacturam terrae osseae, quae dicitur, facit. Dolores, qui in ossibus concitantur, saepe numero adeo ingravescunt, ut aegroti vel levissimo tactu exclament. Profluvium alvi augetur et infantes ex marasmo conficiuntur vel pneumonia accedente supremum diem obeunt vel ex bronchitide aliisque morbis decedunt,

raro accidit, ut valde tuberculosi fiant. Quodsi aegroti rursum recreantur, id quod multo rarius contingere solet, primo universalis eorum valetudo in prosperiorem conditionem restituitur, deinde torus musculorum tollitur. In ipso autem osse spongiosa substantia novae ossificationi sedem praebere coepit, ita ut os pristinam suam firmitatem plane recuperet, sed vastius fiat et densiorem coagmentationem assumat. Cavernae jam medullares evanescunt; os duritiem eburneam capit; cui eburneationi nomen est. Nimirum extremitates flexae, saepe etiam pelvis coangustata manet; denique omnia ossa, quae morbi impetu correpta fuerunt, aut decurvata aut eorum forma impressionibus vel prominentiis mutata est. Ad cariem nunquam res procedit in hominibus rhachiticis. Contra in scrophulosi caries in usitatioribus systematis ossium morbis est referenda. Praeterea etiam hoc loco ejusmodi morbi mentionem facere attinet, quem facile quispiam cum rhachitide confundere possit, qui tamen jam eo perspicue ab illa differt quod non fere nisi in hominibus grandioribus natu solet exsistere. Dico osteomalaciam, quae adultos tantummodo homines, nunquam infantes corripit. Et quemadmodum ortu sic etiam exitu satis dilucide discrepat, quippe in qua nunquam eburneationis processus observatus sit. Nec vero isti duo morbi quidquam alter cum altero commune habent, nisi ossium emollitionem, quae semper incidere solet, ubicunque calcis copia minuitur. Simul symptomatis quoque in ipso mali decursu magnopere inter se dissident. Jam vero

quod ad pericula attinet, quae ex mechanicis detrimentis, contusionibus et singulatim fracturis ossibus rhachiticis inferuntur, vix quispiam dubitare possit, quin hoc quoque loco improspera sit prognosis. Scilicet etiamsi ossis sanatio in primo morbi stadio observata sit, certe tamen hinc major aliqua membri affecti deformitas nascitur. Spondylarthrocace, cui etiam malo Potti nomen est, quamque in rhachitide viri docti mechanicis detrimentis genitam sibi finxerunt, huc nullo modo pertinet. Etenim in hominibus rhachiticis sane spinae dorsi decurvationes reperiuntur, quarum causa e marasticis musculis repetenda est. Potius hoc malum ad scrofulosim tam late diffusam pertinet, et haec quidem est, quae ossium ulcerationes una frequentissime generat. Scrophulosi homines quippe praeter cetera eo propensi sunt, ut spongiosa ossa extremitatum articulationis inprimis genu et articulationis coxae et vertebrarum inflammentur. Creberrime quidem ista symptomata usque ad juvenilem aetatem exsistunt; verumtamen inflammationes ossium cum omnibus signis dyscrasiae scrophulosae propriis in iis quoque hominibus occurrunt, qui in pueritia perspicua scrophuloseos vestigia prae se tulerunt. Qualitates autem scrophuloseos maxime insignes sunt decursus tardissimus, mirifica ossis emollitio et conditio eo propensa ut exsudata purulenta vel certe puris simillima tuberculosa in substantia ossis male affecti vel in finitimis ei partibus nascantur. Quodsi ossa scrophulosi degenerata inquiruntur, haud raro in circuitu tumida, periosteum et ipsum

concrassatum neque arcte ossi adhaerens reperitur. Sin os perseces, fusco rubore injectum apparet, cellulis humore adipeo gelatinoso refertis, et facile vel inprimi vel dissecari potest; saepe etiam processu longius evoluto cellulae fluido puris simili completae inveniuntur, quod plerumque colore e cineraceo flavescente et exiguis ossium particulis intermixtum. Haud raro perfectae cavernae in osse gignuntur, quae peripherice se latius diffundunt, earumque contentum in saccum synovialem si penetrat, plerumque copiosa suppuratio sequitur. Scrophulosa autem ostitis ita exire solet, ut aut destructio ossis longius progrediatur atque succorum jactura et pyaemia aliquando hominem interficiat, aut prosperrimo eventu homo sanetur, vel cretificatione vel granulatione et osse regenerato. Raro sane contingit, ut jactura substantiae carie effecta compensetur. Singularem plane exitum interdum scrophulosa ossis inflammatio concitat, quippe quae non in suppurationem et ulcerationem transeat, sed ex hypertrophia et praecedente medullae inflammatione intumescentiam ossis efficiat, qua re corticalis hujus substantia in tenuem laminam distenditur. Quem quidem morbum nomine spinae ventosae cognitum habemus. Praecipue phalanges manuum pedumque, item metacarpalia eorum ossa afficit. Dolores initio tumoris vulgo non antecedunt, ita ut malum ex intumescentia denique cognoscatur. Nonnunquam etiam in ejusmodi locis excelsis ulcus nascitur; per quod saepe necroticum ossis fragmentum in lucem effertur. Hoc tamen raro accidit, ut

omnino necrosis scrophulosa rarius exsistere solet. Caries ossium potissimum scrophulosae dyscrasiae propria ducenda est; ob eamque rem semper etiam, quum in perfecta scrophulosi fractura, praesertim proxime articulationem nata est, reformidandum est, ne malum in cariem ossis partis exeat. Ac profecto fracturae hominum scrophulosorum haud rarae sunt, quum ossa propter mollitiem et fragilitatem ne minime quidem firmiori potentiae resistere queant. Saepissime scrophulosis cum syphilide conjuncta est. Quid quod multi sunt qui suspicentur parentes syphiliticos si minus liberos et ipsos syphilide laborantes, scrophulosos certe procreare. Syphilis autem ea est dyscrasia, quae haud scio an frequentissimas ossium affectiones concitet, multo quidem saepius quam scrophulas, ac diversissimae sunt morborum formae, quibus in ossibus exoritur.

Jam ea ossa, quae minime contecta sunt, syphiliticis inflammationibus maxime obnoxia apparent, igitur ossa capitis sternum clavicula et tibia. Articulationes tum inprimis, si syphilis cum arthritide et rheumatismo est complicata, syphiliticis inflammationibus facillime corripiuntur, deinde etiam, si externis et mechanicis detrimentis articulatio inflammatur, Plerumque in syphiliticis ossium affectionibus primum periostitis exardescit. Quippe periosteum attollitur et inter hoc et os fluidum sanguineum serosum infunditur. Quod exsudatum brevi tempore in suppurationem transit exitumque sibi extrorsum patefacit. Ipsum os necroticum fit ac passim singulari-

bus conditionibus cariosum evadere potest. Persaepe periostitis non ad ulcerationem et rupturam progreditur, sed periosteum principio exsudato seroso allevatum ossificatur, intervallum inter hoc et os substantia ossea expletur, quae primo spongiosa textura est et maceratione ab osse separari, postea vero eburnea fieri potest et arcte cum suo fundo cohaeret. Hac ratione syphiliticae exostoses oriuntur. Saepe etiam in decursu magis chronico hypertrophia ossium nascitur, quae in formam exostoseon plane convexarum intumescunt; alias effusiones fibrinae et seri infra et supra periosteum sequuntur, quae, si solidae sunt, nodi et tophi appellantur, gummata vero, si molles apparent.

Ossa macerata, quae syphilitica inflammatione exarserant, sublatis dyscrasiae symptomatis sanatisque ulceribus telam graviorem et admodum condensatam prae se ferunt, ambitu magnopere aucto; sin autem sanatio non absoluta erat, sed aegroti ex syphilide ejusque effectibus mortem oppetiverunt, ossa speciem valde porosam praebent, porosa ossium massa passim exiguos sequestres circumcludit nec vero unquam fragilitatem ossium in scrophulosi prae se fert. Qua in re dubitari non potest, quin cura mercuriali systema ossium facilius affligetur, cujus rei causa haud scio an inde maxime repetenda sit, quod iste mercurialismus homines ad frigus suscipiendum propensiores efficiat, tumque ad elementum syphiliticum rheumaticum quoque accedit, et hoc posterius praecipue inflammationem ossium proprie magis chronicam in-

dolem prae se ferentem in syphiliticis ad acutam augere et celeriores exitus gignere videtur. Quod si quis diutius mercurio utitur, praesertim si paucis alimentis vitam trahit et habitatione humida atque insana incolit, syphilis facile cum scorbuto complicatur. Cujus morbi causa maxime in eo posita est, quod sanguis paulatim dissolvitur. Scorbuticus autem sanguis parietes vasorum capillarium et telas macerare ac dissolvere ob eamque rem perfecte extravasare et partim ut plasma suum transsudet efficere videtur; namque infiltrationes telae cellularis vel serosae vel sanguinolentae vel solidiores albuminosae praecipue circum articulationes in musculis et inter eos, praesertim in regione genu in pulmonibus quoque aliisque internis partibus, partim extravasata sanguinis sub cute in membranis mucosis et internis partibus, partim exsudationes haemorrhagicae aquosae in membranis serosis, in pericardio, in pleuris aliisque partibus oriuntur. Hos igitur processus laxatio, spongiosa emollitio, ulceratio, gangraena solidarum partium sequitur. Perfecto scorbuto tumores periostei, ossium emollitiones, spontanea cartilaginum, praesertim costalium, ab ossibus suis solutio inveniuntur; deinde prava articulationis affectio inprimis ejus caries exsistere solet. Jam nisi aegrotus ex sanguinis effusione et universali virium debilitatione conficitur, saepe tamen ancylosis articulationum, intumescentia ossis remanent, in quibus homo doloris quendam sensum retinet. Mechanicae ossium laesiones in dycrasia, ubi ista sanguinis putredo occurrit, maxime

nimirum eo inclinant, ut in ulcerationem transeant, atque, etiamsi ceteroquin spes sanationis futurae suppetit, tamen lethalis exitus causam afferre queant.

Restat, ut aliam dyscrasiam perstringamus, in qua frequentur ossis mutationes animadvertere licet.

Dico dyscrasiam carcinomatosam, quae in diversissimis organis et telis occurrit, scilicet in cute ut epithelioma, in tela cellulari subcutanea, id quod raro accidit, nunquam fere in musculis nisi ut fungus medullaris, quem quidem non dubium est quin in numero tumorum carcinomatosorum habeamus oportet; hoc enim experimenta illa Bernhardi Langenbeck aperte declarant, qui injecto fungi medullaris humani recens exstirpati succo in venas cujusdam canis nodulos carcinomatosos in pulmonibus exoriri vidit, qui omnia microscopica sinceri carcinomatis signa prae se ferebant, deinde occurrere in glandulis, in genitalibus; in membranis synovialibus item nunquam scirrhus exsistit, at fungus medullaris praesertim in articulatione genu. Membranis mucosis neque ulcerationes carcinomatosae neque fungus medullaris parcunt. Denique ne ossium quidem compages istius dyscrasiae pravo impetu intacta manet. In ossibus igitur carcinoma ut infiltratio et massa circumscripta occurrit praecipue in tela medullari et scirrhus et fungus medullaris, frequentior nescio an scirrhus in ossibus reperiatur. Qui quidem substantiam corticalem dimovet et os fragile efficit. Fungus autem medullaris amplos tumores, prae-

sertim in longis tubulatis, in facialibus, in cranio atque in costis generat. Aut a spongiosa ossis substantia aut ab ejus superficie proficiscitur. Quod si illud superius usu venit, fungus ossis massam in tenuem laminam extenuat, quam passim perrumpit, aut os funditus evanescit, relictis exiguis fragmentis, quae in substantia medullari dispersa jacent. Sin hoc accidit, substantia medullaris in ossibus luxurians praecipue in basi compagem radiatam lamellosam praebet, ex ossea substantia recens nata compositam. Carcinoma fibrosum, quod et ipsum saepe exsistit, omnino fere eandem quam scirrhus rationem sequitur, atque haud scio an cum eo in ossibus propemodum plane consentiat. Carcinoma reticulare item saepius sed plerumque secundarium exardescit, raro autem carcinoma alveolare. Eodem huc complures ossium tumores accedunt, quos propter malignos exitus haud injuria in eo numero recensere attinet. In quibus maxime excellit osteosarcoma, quod saepe numero in emollitionem et dissolutionem quum transeat, interitus aegroti causa fit. Concedendum tamen est, ubi ejusmodi tumores exstiterint, ibi saepe dubium fuisse, an non re vera nihil aliud fuerit, nisi carcinomatosa degeneratio. Multo minus dubitari potest de eo ossis tumore, quem doctissimus Joh. Müller osteoides vocatum accuratius descripsit. Quo auctore osteoidea maligni tumores sunt, qui organismo interitum afferunt, maximam partem ex ossea massa et alia substantia non ossificata sed ossificationis capaci constant et non solum in ossibus sed secundarii

in mollibus etiam partibus oriuntur. Sunt autem osteoidea tumores inaequales gibberosi, qui modo tarde, ut pauci anni interfluant, modo celeri rapido cursu, plerumque primo summo ab osse saepe ad ingentem magnitudinem augescunt, magnam partem ex ossea massa constant, cujus in intervalla simul formale elementum non ossificatum, vulgo solidum cartilaginis fibrosae firrmitate praeditum se insinuat, quo etiam superficies plasmatum osseorum plerumque tegitur. Natura ejus osseae massae partim valde porosa fragilis et talis est, ut superficies ejus in plures acervos innumerabilium lamellarum et fibrarum discissa sit, modo haec massa solidior et incolumi ossium telae similis est. Nec vero externa tumoris pars unquam laminam laevem et rotundatum efficit, ut in enchondromate fieri solet.

Isti igitur tumores originem repetunt ex aliqua inclinatione morbose luxuriandi eoque modo ossa gignendi, quae quidem formatio universo corporis organismo pestifera plerumque primum in uno osse nascitur, postea per alias quoque systematis ossium partes propagatur atque, id quod gravissimum est, etiam molliores partes afficit, ita ut ante amputationem vel exarticulationem affecti membri et post eam osteoidea omnino libera ab ossium vi in mollioribus organis exoriri queant.

Universali sua indole, ut ait Joh. Mueller, istae vegetationes magnam cum carcinomatis habent similitudinem, easque pro forma carcinomatis, pro carcinomate

osteoide habere possis. Etenim cum carcinomatis eo consentiunt, quod in partibus circumjacentibus omnes telas diruunt et in novam formationem trahunt, quod, ut supra jam memoravimus, exstirpata revertuntur. Quamquam saepe emollitio osteoideorum utpote necessarium evolutionis stadium desideratur. Similis tumor, quem dubitant utrum ad dyscrasiam carcinomatosam referri oporteat necne, est pulsans, qui dicitur, ossium tumor. In quo os in tenuem laminam distentum est, quae perfecte inflecti inprimique potest. Haec igitur lamina parietes efficit, quibus coagulatus sanguis et fibrina includuntur. Multifariam ejusmodi tumores amputatione radicitus sanati sunt, alias in aliis ossibus regenerati. Rokitansky pulsantem istum ossium tumorem plerumque cum carcinomate ossium in aliis sceleti partibus reperit.

Fungi medullaris sub forma ea crasis in ossibus eodem modo saepe manifestatur. Qui quidem os saepe omnino urgendo disjungit et crebro omnes ossis partes sibi finitimas absorbet, ut hac substantiae osseae consumptione perfecta foramina et hiatus exsistant. Qua in re apparet ossa hoc modo destructa vel minima vi affecta confringi, neque sanationem ullam sequi posse verum istiusmodi laesione processum accelerari et aegrotum maturius mortem oppetere.

Verumtamen laesio ossis alicujus efficere potest, ut in homine eo, cujus tantummodo molliores partes carci-

nomate affectae sunt, nova dyscrasiae sedes fiat. Cogitari etiam potest sine ullo externo dyscrasiae signo eam repente laesione ossis manifestari. Atque omnino homines carcinomate correptos ad ossium fracturas facile propensos esse, nimirum, quae totius sceleti fragilitas est, mirum videri nullo modo possit. Levissimis quippe ex occasionibus ossium fracturae concitantur, veluti si quis se in lecto convertit, vel si leve aliquod pondus tollere conatur. Sic Ludovicus Stromeyer in enchiridio suo, quod de chirurgia conscripsit, narrat, in muliere, quae scirrho mammae haud longe progresso laboraverit, in capillis pectendis fracturam claviculae natam esse. Hanc plane sanatam esse visam, sed defuncta homine in loco fracto carcinoma reticulare occurrisse. Idem exemplum alterum de muliere exponit, quae fungo medullari glandulae thyreoideae laboraverit, ex altero ad alterum lectulum portata sit, eoque ipso tempore fracturam femoris acceperit. In ea muliere paucis hebdomadibus post defuncta in ossium fragmentis massam medullarem luxuriando excrevisse visam esse. Similiter mihi quoque cóntigit, ut in clinico chirurgico hujus urbis occasionem nanciscerer videndi in virgine triginta novem annorum, quae scirrho mammae laborabat, quum aliquando humi procidisset et inde fracturam in superna femoris parte accepisset, quumque, postquam sex menses interfluxerunt, eo loco nulla sanatione consecuta in hujus urbis clinicum chirurgicum delata esset, locum, quem fractura affecerat, post illius mortem cum vicinis sibi par-

tibus adeo carcinomatose esse degeneratum, ut ne secto quidem cadavere certo determinari posset, quo loco fractura insedisset. Quae degeneratio carcinomatosa non ad femur solum pertinebat, sed etiam os ileum os ischii et os pubis ejusdem lateris tam mollia et spongiosa erant, ut levi pressione flecti ex eorumque substantia succus carcinomatosus exprimi posset.

VITA.

Natus sum ego *Henricus Richardus Triebel* Martisburgi Kalendis Februariis anni h. s. XXX patre *Henrico* matre *Maria* de gente *Rummel;* utrumque parentem morte mihi ereptum summe lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum. In gymnasiis Martisburgensi et Schleusingiano literis et artibus humanitatis quum operam dedissem, testimonio maturitatis ornatus verno tempore a. h. s. L Lipsiam me contuli, ubi ab *Ill. Bülau,* t. t. rectore Magnifico in numerum civium academicorum receptus sum. Sex menses commoratus hinc Berolinum petivi, ibique ab *Ill. Twesten* civibus adscriptus annum mansi; denique in academia Halensi ab *Ill. Eiselen* receptus sum.

Scholis interfui philosophicis hisce:

Ill. Drobisch, de logice; *Ill. Lindner,* de psychologia; *Ill. Hankel*, de physice; *Ill. de Schlechtendahl,* de botanice; *Ill. Lichtenstein*, de zoologia; *Ill. beat. Germar*, de mineralogia; *Ill. beat. Steinberg*, de chemia organica et anorganica; *Ill. Mitscherlich,* de chemia.

Medicis hisce: *Ill. beat. d'Alton,* de anatomia corporis humani, de anatomia generali, de arte cadavera rite dissecandi. *Ill. Volkmann,* de physiologia, de embryologia et anatomia comparata. *Ill. Krahmer,* de pharmacologia, de materia medica. *Ill. de Bärensprung,* de percussione et auscultatione, de pathologia generali. *Ill. Blasius*, de chirurgia, akiurgia, de operationibus ophthalmiatricis, de instrumentis chirurgicis. *Ill. Krukenberg*, de patholo gia et therapia speciali. *Ill. Hohl,* de arte obstetricia.

Scholis clinicis interfui medicis ***Krukenbergii***, chirurgicis ***Blasii***, obstetriciis ***Hohlii***.

Quibus omnibus de me optime meritis viris gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico examineque rigoroso superatis spero ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina ac chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Scrophulosis et Tuberculosis valde inter se differunt.

II.

Medicus ipse grave remedium.

III.

Solutio placentae multis in casibus naturae non relinquenda est.